

189.

153.

Vd. 16^a



VOTA MISCELLANEA

Virtuti ac crescenti Gloriae

ILLUSTRIS ET GE-
NEROSI D.D. CAROLI JÖRGE-
RI IN TOLETH, KHÖPPACH ET STAUFF,
LIBERI BARONIS IN KREUSPACH, DOMINI
IN PERNSTAIN, SCHERNSTAIN, ET WALPERS-
DORFF, AUSTRIÆ SUPERIORIS PRÆFECTI
HÆREDITARII &c. PUBLICE PRO REGA-
LIBUS DISPUTANTIS, A QUIBUSDAM
GRATO ANIMO, DEBITA OBSERVAN-
TIA, HUMILI OBSEQUIO

DATA, DONATA, DICATA:

inque

Δικαιοσύνης καὶ μνημοσύνης

templum

COLLOCATA.



ARGENTORATI,

Typis Josia Ribelii, per Andream Rietschium.

ANNO CHRISTI M. DC. V.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines and appears to be a list or a series of entries. Some words are difficult to discern but may include names and titles.



Ad Illustrem & Generosum
CAROLUM JÖRGERUM L. B.

*Pro Materiâ Regali à se propositâ, Dispu-
tatione publicâ respondentem.*

ODE *εγκωμαστική.*



Ampas vetusti, CAROLE, stemmatis,
JÖRGERE, sydus nobilis Austriae,
Tensure famam Gentis usque
Solis ad Hesperium cubile;
Si vera, certis rebus, opinio
Credenda prisca est Pythagoræ senis,
Quæ, quas semel vitæ fugavit
Frigida pausa, animas reverti
Adfirmat, & rursus in nova corpora
Intrare: si, ajo, vera ea opinio,
JÖRGERE, quæso, quis negasset
Secla tot ante Erebo datorum
Sancti peritos Juris, & Artium
Quarumque, Linguarumque; nitentium,
Rerumque; gestarum scientes
Sat memores animos virorum,

Nos ante retrò quos coluit sacræ
Antiquitatis grex sapientior,
Se in scrinium tui indidisse
Pectoris & Cerebri politi?
Dum namq; causas Juris, & abditos
Quosvis recessus, & penetralia
Rimaris, evolvisq; nodos
Herculeos animo sagace:
Sic examuffim cuncta ea factitas,
Sic luculenter munere fungeris,
Ut rectius nec ipse possit
Bartholus, aut Zoanettus acer.
Quod si hancce laudem forsitan abnuis,
Falsum nec istud dogma probaveris,
Quod cum sacrato quippe pugnet
Dogmate Christiadûm virorum,
Negante nostris has animis vias:
(Modestix nam sessitat in tui
Fœcunda matrix Cordis æde,
PRÆNDELIO genitore fœta)
Invitus isthoc vel tamen aufferes
Præconium: quòd nullus honos queat
Tuæ eruditioni haberi
Par, Generisq; tui nitori.

Lampas

Lampas vetusti CAROLE stemmatis
JÖRGERE, sydus nobilis Austriae,
Extende famam Gentis usq;
Solis ad Hesperium cubile.

Sebastianus Schobinger, Art. Med.
Doctor. Off. D. D.

ALIUD.

Cum fuerint antehac multi JÖRGERE Barones,
Quos inter tanquam sol radiare potes,
Vix tamen hoc unquam quod prestas, prestitit ullus,
Declamando sonans, discutiendo tonans,
Nunc iterum ascendis Cathredam, Regalia Jura
Exponis, magnam dexteritate Baro.
Ergo tibi merito de tali grator honore,
Et precor ex animo, prospera cuncta meo.
Susceptum felix iter ingrediaris, & inde
Sit tua cura DEUS, sit tua cura REUS.

Johannes Pappus Junior.

ALIUD.

CAROLUS JOERGERUS LIBER BARO.

ἀναγραμματισμένος

AB LIBRO CLARUS: REGIUS ORE ERO.

Italus, Hispanus, Gallus mirantur: eorum
Quod fari linguas, Flos Generose, scias:

† 3

*Alma Dice cernit, quod nunc Regalia tractes,
Obstupet, ac, magnum magna docere, refert.
Hinc an non poteris meritò hac in rumpere verba?*
AB LIBRO CLARUS; REGIUS ORE & ERO.

Observantiæ ergò F.

Laurentius Hofmanus
Hallâ-Saxo.

ALIUD.

CAROLUS JÖRGER.

ἀναγράμ.

GLORIA RES CURO.

Et:

GLORIOSA CURRE.

vel:

CLARIOR O SURGE.

Virtutis comes arcta gloriosæ
CURO GLORIA RES: abhorreoq;
Verbis sesquipedalibus tumores,
Et nil de vitiis nisi (at volebam
Hem! de divitiis (ita excidit mî)
Imò & de vitiis:) suaq; Gente,
Fumosisq; parentium figuris,
Per convivia, compita, angiporta,
Vel raucedinem ad usque, nauseamque,
Jactantes: iterumq; jactitantes:
Fumi pro nitido igne venditores,

Qui

Qui fumo pereant, velim, vel omnes.
Inflammatus amore gloriosæ
Virtutis quoq; tu, Genus Baronum
Felix nobilium, spei indolisq;
Ingentis, CAROLE; optimum profectò
Vitæ ingressus iter tenes: sequendo
ME, per ardua, ad arduos honores:
Hausti jam varias probè loquelas,
Hispanam, Latiam novam ac vetustam,
Et quâ Gens loquitur ferox Boëma,
Gallus quâq; sibi placet venustus.
Dextro quin genio benè & sagaci
Oracla, ingeminans sacræ cathedræ
Ascensum, Themidis, vigil resolvis.
Tum quæ prætereà scienda, quæq;
Mores ingenuos decent, honestas
Mentes quæ decorant, colis bibisq;
In terris patrio solo remotis.
SURGE O CLARIOR usque: GLORIOSA
Hac & CURRE viâ: parabitur sic
Laus & gloria, & incluti favores.
In rem vulgus eat malam profanum,
Album quod facit atq; dicit atrum,
Et fumos nebulasq; pro igne vendit.

ALI.

ALITER.

GLORIA RES CURO: nō fumos capto, nec umbras,
Dispereat fumo venditor ipse suo.

Bernh. Pratorius P.L.

AD EUNDEM.

Hostiles capiti assultus, vitæq; petita
Insidias (namq; hæc superat spes una salutis)
Objectu armorum depellere, nec tamen ultra
Desævire animis, iræq; imponere morem
Nuper in Eunomia te vidimus æde, Baronum
Sidus & humane tutator, CAROLE, vitæ.
Quinetiam, Regum quibus eminent ordo Quiritum
Juraq; Romanas aquilas, sceptrumq; sequuta,
Et generis digno producis, & indolis ausu.
Muscellas alii, quibus est ea grata voluptas,
Defigant graphiis, & ludis tempora fallant:
Imperio nati, & rebus, JÖRGERE, gerendis
Jam nunc bellorum tecum, quæ maxima quondam
Pro patria, Clariis ludant simulacra sub armis:
Regalesq; artes, & Nobilitatis honorem,
Debellare malos, miseris succurrere, discant.
Talibus auspiciis surgens illa inclita Roma,
Et tenuem ab radice ferens sine nomine culmum,
Impe-

*Imperiis terris, animos aquavit Olympo.
Perstat, & immotâ corpus compage cohaeret,
Si suus haud desit membris vigor: impete vasto
Culmina neglectis trabibus traxere ruinam.
Credo equidem: & , quàm decipiet me futilis error,
Fraga legam aëriis citius nascentia Cedris:
Delectos Patria Heroas non ultimus inter
Ibis, & antiquum virtute tuebere nomen,
Teutonia decus, atq; tuis: sic grandibus insta
Ceptis, & juvenes curis Regalibus annos
Postera venturis seclis mirabitur etas.*

Zacharias Fridericus, Re-
gimontanus, P.L. C.

AD EUNDEM.

CAROLUS JÖRGERUS LIBER BARO AUSTRIACUS.

Αναγραμματικῶς.

LUCE SORS VIRTUS ARS GLORIA CURA BRABEJO.

*Cum te spectarent Baro Sors, Ars, Gloria, Virtus,
Cura, has magna inter lis fuit orta Deas.*

Hic meus est Virtus: meus est hic Gloria dixit:

Ars ait esse suum: Sors ait esse suum.

Virtus: cum foveas incoctum pectus honesto.

Gloria, quæ toties parta labore tibi.

††

Ars: quia tam ornate Regalia Jura resolvit.

Sors: quia felici munere cuncta subis.

Audivit tantas, voluit componere lites,

Astripotens, praesens hoc Anagramma tulit.

LUCE SORS, VIRTUS, ARS, GLORIA, CURA, BRABEJO,

Sic equidem semper cuique quod optat erit.

ALIUD.

CAROLUS JÖRGERUS LIBER BARO AUSTRIACUS.

Anagramma

ELEGI ROBUR: LAUS, ARS, COR, SOBRIA VIRTUS:
COR, RUBOR, ARS, VIRTUS, LAUS REGIS, I LABEO.

Joan. Jacobus Rieppius.

ALIUD

CAROLUS JÖRGERUS IN TOLET, CÖPPACH, ET STAUFF,
LIBER BARO IN CREIISPACH, DOMINUS IN PERNSTAIN,
SCHAERNSTAIN ET VVALTPERSDORF, AUSTRIAE SU-
PERIORIS PRAEFECTUS HAEREDITARIUS.

Anagramma.

HIC VIR RES SUFFERT: PATRIAM FOVET: ALTIOR HAERES
PATRIS, STANS POPULIS ANCHORA GRATA SUIS.
NONNE BONIS SPES DULCIS ERIT? NON ERROR; IBI APTE
RES FIET: LEPIDE HUIC CURA CADUCA RUET.

Qui Restaurator Patriae est, qui rebus in arctis

Vim suffert, Cives ruraque lata fovet.

Qui Patris est Haeres, populo anchora, spesque jacenti,

Sub quo res surgunt, nec vagus error adest.

Hunc Patrii Cives, hunc admirantur Amici,

Hunc sua suspiciunt, rura aliena stupent.

Gaude

*Gaude igitur meritò sinuosus flexibus Ister,
Et tu, qui viridi laberis, Oene, solo.
Hic tibi restaurat regnum, cultumq̃ labantem
Musarum: redit hoc auspice viva Fides.*

HIC VIR RES SUFFERT: PATRIAM FOVET: ALTIOR HAERES
PATRIS, STANS POPULIS ANCHORA GRATA SUIS.
NONNE BONIS SPES DULCIS ERIT? NON ERROR; IBI APTE
RES FIET: LEPIDE HUIC CURA CADUCA RUET.

*Pessum ibunt cura, frangentur scuta Getarum:
Ut quondam effusè tempora circumeat
Virgo Triumphatrix. Assurge, ô inclite sanguis!
Rebus, & invictam rumpe per alta viam.*

David Pistorius.

AD EUNDEM.

*Unice virtutis FLOS, CAROLE, Fama Baronum
ARGENTINA suo Quos fovet alma sinu:
Si verum est, Gnatos imitari facta Parentum,
Tum Genitor Tibi vel Jupiter ipse fuit:
Ubera vel gnata suxisti sacra Minerva,
Dotes unde suas Mens Generosa capit.
Nec me quid fallit, quia Te Natura beavit
Ingenio pariter, Judicioq̃ bono;
Additur assiduus labor his & vincitur omnis,
Qui Leges Themidos se didicisse putat.*

†† 2

Eja age clara Deum soboles Jovis incrementum,
Consimilem Generi discute materiam.
Et Tibi pro meritis debet Regalia Caesar
Munera. nam DIGNIS EST SUA PALMA VIRIS.
CAstaliá ROseum LUstramus GORgone GER-
men
LInguáq, BERyllum BAsilicum ROgitat.

M. Joan. Neglinus
 S. S. Th. Stud.

ALIUD.

Anagramma.

ΚΑΡΟΛΟΣ ΙΟΙΡΓΗΡΟΣ ΚΕΛΕΥΘΕΡΟΣ ΔΥΝΑΣΤΗΣ:
 ΟΣ Ρ' ΑΓΛΑΟΣ, ΔΙΟΣ ΚΗΡ: ΕΡΙΗΡΟΝ ΣΥΤ' ΕΘΟΥ ΚΛΕΟΣ.

Πολλὰ ματεύει αἰὲς θνητὸς πολλοῖς καμάτοις
 Σώματος, ὥστε φέρειν πᾶρ μερόπεσσι κλέθ.
 Ἀλλὰ μάταιον ἔφυ, ὅτι σύμπαν φθαρτὸν ὑπάρχει,
 Πολλὰ ματίζειν ἐπὶ χθονὶ φαινὰ κλέη.
 Ὅ' ἠμιόνας ἀγαθὰ κρηδίας μένει ἔμπεδα θνητοῖς.
 Ἡ φύσις εὐδόκιμος, Νοῦς συνετός τε κρατεῖ.
 Ἐξ ἀρετῶν κέατος μόνον ἔργματα κλεινὰ προβαίνει,
 λαμβάνει ἐκ τέτων ἔξοχον εὐχθ' ἅπας.
 Ταῦτα σὺ νητρεκέως νόσεις γενναῖε Κορύκων,
 Ἄξιθ' ἔσσι κλέεσσι εὐκελάδοιο μόνθ.
 ΟΣ Ρ' ΑΓΛΑΟΣ σελαγείς εἰν ἀνθεί σενεότητος,
 φέγγθ' τῶν ἄλλων λαμπρότατα προέχεις.
 Ἀγλαά ἐσι σέθεν ναὶ πράγματα πάντα βροτοῖσιν,
 Ἀγλαὸς εἰν ἀρετῆς ἀμβροσίησι τεῆς.
 ΔΙΟΣ μὴν λάσιον ΚΗΡ, καὶ φρένα εὐφρονα πυκνός,
 Ἐργμασίσθ κλεινοῖς λάμπες ἀγαυότατα.

Τοῖον

Τοίνυν λαμψὸς ἔων ΣΥΕΘΟΥ μᾶλλον Τ' ΕΡΙΗΡΟΝ,
Σὲ ΚΛΕΟΣ ἔνδοξον πᾶρ μερόπεσσι κλυτοῖς.

Αὐξ, ἄγε σῆς ἀρετῆς κῦδ' ὅ σέο ἔξοχο Φεγγέες,

Καὶ Διὸς κερδίην ἀγλαὰ ἔργα πρᾶγε.

Τόφρα θεῶν χαρίεις ἔσεαι, καὶ ἔργατος ἀπασι

Ὀνητοῖς, κ' αὐξήσει μᾶλλον ἔπαιν' αἰεὶ.

Christophorus Brunnius.

ALIUD.

A MONSIEUR

Monsieur le Baron Förger, disputant & defendant
ses Theses, touchant les droicts de la
Souveraineté.

SONNET.

Tant de feux allumés en l' Avril de cest aage,
Tant de doctes souhaits conceux également
Aux effects ja-vivants, d' un rar' entendement
D' un solide sçavoir sont ils pas le presage?

Tant de brasiers ardants, qui bruslent un courage,
D' exposer aux rayons d' un public jugement,
Le fruiet de son estude si courageusement,
N' emportront ils d' l' honneur, du plus grand,
l' avantage?

FLEUR DES BARONS, ce desir & celebre honneur
Font ils grossir vostr' am' au degré de grandeur?

†† 3

Desirez vous sur tous vos pareils la victoire?
C'est un brave desir, si ce desir vous meut.
Vous le pouvez sans aultre: Aultre que vous ne
peut
Triompher du Sçavoir, de l' Honneur, de la
Gloire.

DE SC,AVOIR VIENT AVOIR: ET L' HON-
NEUR ET LA GLOIRE.

Vostre bien-humble & tresaffectioné
Serviteur

Sebastien Schobingre Docteur
en Medicine.



Ki 2459

ULB Halle

3


004 527 232



b f

W. 22





B.I.G.

Farbkarte #13

MISCELLANEA

crescenti Gloriae

RIS ET GE-
CAROLI JÖRGE-

KHÖPPACH ET STAUFF,
IN KREUSPACH, DOMINI
HERNSTAIN, ET WALPERS-
SUPERIORIS PRÆFECTI
P. PUBLICE PRO REGA-
ANTIS, A QUIBUSDAM
DEBITA OBSERVAN-
MILI OBSEQUIO

NATA, DICATA:

inque

ἰνῆς καὶ μνημοσύνης

emplum


LOCATA.



ENTORATI,

per *Andream Rietschium.*

CRISTI M. DC. V.



2

